





X 450





נאליהים

ΑΛΗΘΕΙΑ ΛΟΓΙΑ,

h. e.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

VERITATE,

Quam

Jeho Vâ benIgnore CLeMenter

aDIVVante,

In Illustri ac Florentissimo ad Salam ATHENAEO

*Sub Praesidio*

*Viri Amplissimi atque Excellentissimi*

DN. IOH. CHRISTO-

PHORI Hundeshagen/

Log. & Metaph. Prof. Publ. Ordin. Praeceptoris

ac Fautoris sui nullo non honoris atque observantiae

affectu aetatem prosequendi,

*Publico Eruditorum examini submittet*

ANDREAS Francke/ Erford.

*Ad diem Februarii*

*Horis Consuetis,*

In Auditorio Philosophorum.

JENAE,

Typis publicata Bauhoferianis,

Anno à pariente Virgine 1669.

X 150 (96)





VIRIS

*Praemodum Reverendis, Excellentissimis, Clarissimis eruditionisque  
eminentiâ praesignibus ac conspicuis:*

**DN. M. NICOLAO STENGERO, SS. Theol. ac Lin-  
guar. in Electorali Academia Erfordienfi Professori Publ. celeberrimo, Eccle-  
siae Mercatorum Antistiti ut fidelissimo, ita vigilantissimo, summè Veneran-  
di Ministerii ibid. Seniori, Gymnasique Inspectori gravissimo, Con-  
fessionario suo diligendissimo ac perpetim colendissimo.**

*Ut &*

**DN. M. JACOBO ILGENIO, Ecclesiae ad D. Michaëlis  
& Nonario longè fidelissimo, Ministerii praeaudati Assessori Specta-  
tissimo Gymnasique Inspectori gravissimo.**

*Nec non*

**DN. M. ZACHARIAE HOGELIO, Verbi divini ad D.  
August. praeconi vigilantissimo, Ministerii ejusdem Assessori gravissimo,  
Gymnasique ibid. Directori merentissimo.**

*Item*

**DN. M. JOANNI MELCH. STARCLOVIO, Ejusdem  
Electoralis ad Hieram Academiae Log. & Metaph. Gymnasique ibid.  
Professori dignissimo, Diacono ad D. Baptistae  
fidelissimo**

**Dnnon. Patronis, Promotoribus, suisque quondam respectivè  
Praeceptoribus omni reverentiae, honoris ac amoris cultu ju-  
giter prosequendis ac honorandis.**

*Salutem atque observantiam debitam.*

**V***estris, Viri Praemodum Reverendi, Patroni Magni, Nominibus cur  
hanc de VERITATE dissertationem, cum Academicas Philosophici stu-  
dii primitias, debitâ mentis submissione ac reverentiâ, inscribere, in-  
scriptas Vestro conspectui sistere, ejusque nuncupatione Vos venerari  
voluerim, quin imò debuerim; causas extantiores easque geminas,  
ob chartae tamen angustiam strictim & absque inani multiloquio, hic duco expo-  
nendas. Altera quidem extitit illa, ut perspicuum scilicet cum submissae, quâ me  
obstrictum Vobis sentio, observantiae; tum debitae, ac vice gratitudinis, ob favo-  
rem singularem informationem, anti hac oppidò fidelem, exhibendae Vestrorum  
Nominum recordationis extaret argumentum. Altera vero haec, ut Vobis dem*

*in*



in mei studiorumque meorum commendationem, publicum deponerem literarum  
specimen. Et quibus aliis debui? Nullis enim aliis adeo teneor Patronis aut Promo-  
toribus, quibus praesentes eosque primos Academicorum studiorum fructus consecrare  
ac devovere potuissim, vel debuissim, nisi Vobis ipsismet. Tenue equidem munus  
chartaceum, adeoque haud dignum, quod vel manusculi venire debeat nomine, nisi  
Vester erga literatos amor iuxtaque benevolentia singularis huic, etsi levidensi, nec  
tamen ex sua quantitate, valore aut dignitate, sed candida illud offerentis mento-  
aestimato, aliquod addiderint pretium. Hac igitur nixus fiducia, Vos, Promoto-  
res Optimi, levidense hoc munusculum (cum fortunae exilitas haud suppeditaverit  
aliud) non insuper esse habituros, sed benigniore vultu dignaturos meque favore con-  
stanti prosecuturos totus confido. Quo favore si me beaveritis, benignoque vultu  
illud, quod offero, susceperitis, eo unice annitar, ut hujus beneficii singularis Ve-  
strumque memoria aereis quasi, aut si quid aere perennius, colossis abs omni vindice-  
tur oblivione. De coetero, viribus ulteriora praestandi benefactaque redhostiendi cum  
destituar, hoc ex sincera adhuc mente voveo ac exopto, velit Deus Opt. Max. Vos,  
Patroni summe Venerandi, omnigena prosperitate ac felicitate beare, beatumque  
illud feliciter multos in secuturos annos clementissime concedere.

Dabam Jenae decurrente  
mense Januar. Anni  
Christiani 1669.

Vestrarum Plur. Reverendarum  
Excellent.

obsequio cultuque devotissimus  
ANDREAS Francke / Respondens.

Eximio atque Literatissimo

DN. ANDREAE Francken /

Philosophiae Candidato dignissimo, SS. Theol. cultori maxime

strenuo

cum cathedram Philosophicam ascenderet,

& de Veritate

publicè disputaret,

10. 11.

Vera doctes verax, quae verè sunt Tibi laudis;

Inde Deus verax vera brabea dabit.

effudit

PRÆSES.

Per-





*Pereximio*

DN. ANDREÆ FRANCKIO,

Philosophiæ Candidato dignissimo

de Veritate disputanti

*L. M. q. scrib.*

M. JOHANNES CRAUSIUS,

Fac. Phil. Adjunctus.

In veri studio, cum tot sint falsa, juvabit  
Ingenii vires explicuisse Tui.

---

Quid falsum vero, quid clara luce tenebræ  
Distent, cum monstres, grator, Amice, Tibi.

*Civi & Amico suo honorando*

*f.*

M. FRIDERICUS WILHELMUS Förster.

---

Ut spolia amplia refert, celeri qui miles in hostem  
Vectus equo & veritus nulla pericla, ruit;

Sic, qui decurrit solers virtutis ad arcem,

Ille sui studii præmia digna capit.

Ingenii dotes igitur dum prodis, AMICE,

Ac animo intrepido prælia docta subis,

Ex pugna Victor non indonatus abibis,

Ecce Tiara venit, JENA brabea parat!

Gratulor ex animo: Studiis benedicat JÖVA;

Ut patriæ & matri commoda mille feras.

*Ita Dn. Resp. Phil. Cand. dignissimo, Amico, Fautori & olim*

*Contubernali suo dexterrimo applaudit*

JOHANNES WILHELMUS ANDREÆ, SS. Th. & Phil. Stud.

---

Propugnatores nonnunquam vera requirunt,  
Quamvis consistant robore firma suo.

Gratulor auxilium vero, Tibi, FRANCE, ferenti:

Egregium facinus mox comitatur honos.

*Sic eximie docto Dn. Resp. ex animo apprecatur*

CONSTANTINUS MÜLLERUS, Erfurt.







DISPUTATIO  
*de*  
VERITATE.  
ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.



**N**obile de VERITATE argumen-  
tum est; simul verò nodosum & ardua-  
rum controversiarum plenissimum: in  
quibus componendis occupatissimi sem-  
per fuerunt Philosophi. Et quemadmo-  
dum nemini dubium est, ad Philosophum  
attinere de illa agere, ab eoque multa pe-  
tere Theologos: Ita decantatum est, multorumque illustri  
laude celebratorum testimoniis comprobatum est, quan-  
tum utilitatis Theologiæ deditis conferat eorum, quæ de ipsâ  
doctè à Philosophis tradita sunt, exacta cognitio. Quæ in-  
signis utilitas & nos movit, ut, cum de aliqua materia Exer-  
citiū Disputatorium iterum instituere animò decreveri-  
mus nostrò, ipsam hanc de VERITATE sumserimus. *Al-  
ma Trias, sanctifica nos tua Veritate, sermo ille tuus Veritas est.*  
Sit igitur, exclusis verborum ambagibus & lenociniis, BO-  
NO CUM DEO,

THESIS I.

**D**e VERITATE dicturis utile visum fuit de nomine quæ-  
dam præfari. Ut enim optimè Galenus ille (Casauboni

Ff

elo-



elogio) Criticorum non minus quam Medicorum Princeps  
I. Method. Med. c. 5. in fit: ἐπὶ πάντων ζητημάτων εἰς λόγον χρὴ  
μεταλαμβάνεσθαι τῶν οὐμάτων. hoc est, in omnibus, de quibus quari-  
tur, in rationem oportet adsumi ipsum nomen. Id propter &  
nos de Originatione & significatione vocabuli Veritatis in  
frontispicio nostræ disputationis paucis agemus.

II. Et quidem quantum ad ἔτυμον, de eo CL. Dn. Mat-  
thiam Martinii in Lexico Philologico tit. verit. ita scribere le-  
gimus: Perottus: verus quasi non fictus, non simulatus, sed ipsa res.  
Idem: Verum, i. e. solidum, sincerum, non falsum, quod verno  
tempore Sole arietem ingressò, omnia verè nascuntur, partusque  
ad maturitatem perveniunt, cum aliis temporibus nata sæpè de-  
ficiant. Quidam à ve & reor, quod valde veri, i. e. existimare  
oporteat verum. Sed simplicius erit, verum ab ἐγείν loqui,  
quod verum sit Φαλόν. Melius ab Hebr. נָקִי purum. Hæc ille.  
Quæ quidem quod ab aliis judicentur & culpentur, optimè  
novimus; nolumus autem nunc in controversiam trahere  
nostro instituto nihil ob futurum putantes, sive à ve & res,  
sive à ve & reor, sive ab ἐγείν sive aliunde deducatur, modò  
ejus, unde venire creditur, ratio vel analogia rectè expo-  
natur. Nobis quidem impræsentiarum magis arrideat sen-  
tentia Perotti, qui verum descendere aiebat à ve & res, si-  
quidem præsci verum statuebant affectionem entis: hinc  
Philosophus dixit: τὸ ὄν καὶ ἀληθὲς ἀντιστρέφει, ens & verum  
convertuntur. Et Verum est id, quod in re est & cum ipsa re  
convenit; idcirco etiam apud Græcos ὄντως est verè, uti res  
est. Confer Becmannum de Originibus Latine Lingua in voc. Res.  
p. 911. Cæteras hujus vocis derivationes suis Autoribus  
linquere, quàm nobis sumere malimus.

III. Ab Etymo hujus vocabuli progredimur ad signifi-  
cationem: sumitur autem vox veritatis in Scholis Philoso-  
phorum plerumque bifariam (i.) prout notat ea virtutem

moræ



*moralem*, quâ quis semper sibi similis, id, quod in corde sentit, verbis etiam, gestibus ac factis profitetur. Quò in significato accipitur à Philosophorum Coryphæo Arist. l. 4. ad Nic. c. 7. quando dicitur: ἀληθευτικὸς ἢ τῷ βίῳ ἢ λόγῳ, τὰ ὑπάρχοντα ὁμολογῶν εἶναι περὶ αὐτὸν, καὶ ἔτε μείζων, ἢ ἔτε ἐλάττω: *verax est vitâ et oratione, quæ apud se habet, neque majora neque minorâ proficitur.* Et hæc significatio ad præsens nihil facit. (2.) sumitur, prout vulgò in *Metaphysicis de ipsa agi solet*, quo in significato de ipsa loquutus est Stagiritæ, quando lib. de Interpret. c. 1. §. 5. inquit: ἐπὶ δ' ἐστὶ τῆς ψυχῆς ὅτε μὲν νόημα ἀνευ τῆς ἀληθεύειν ἢ ψεύδεται, ὅτε δὲ ἤδη ὡ ἀνάγκη τῶν ὑπάρχοντων γάτερον; *In anima est interdum intelligentia veri et falsi expertis; interdum verò, cui iam necesse est, alterum horum inesse.* confer l. 6. Met. 2. t. 8.

IV. Hòc posteriori modò accepta variè à variis in eâ describitur. Communissima ac receptissima definitio est; quâ dicitur, quod sit conformitas intellectus cum re: addunt nonnulli etiam orationis. Quæ definitio ut rectiùs intelligatur, singulæ illius particulæ paulò penitiùs erunt inspiciendæ. Dicitur ergò 1. veritas conformitas *Intellectus*. Ubi per *Intellectum* intelligunt quidam intellectum divinum, id quod facit B. Dn. D. Jacob. Martini in part. *Metaph.* lib. 1. c. 5. & Vir quidam Clarissimus in compend. *Metaphys.* c. 4. qui idcirco expressè scribit, esse veritatem conformitatem rei cum intellectu divino; quæ sententia etiam videtur fuisse *Thomæ Aquinatis quæst. 1. de verit. c. 4.* Sed rectiùs *Mendoza per intellectum h. l. intelligit non tantum intellectum divinum et increatum*, quia, ut Excell. Dn. Ebelius *Disp. 5. Colleg. Metaph. s. 3.* docet, ad judicandum, sit ne aurum verum aliquid ac minus? non solemus recurrere ad ideas divinas, sed ad nostram cognitionem de verò auro. E. Veritas dicitur quoque in ordine ad nostram cognitionem. Deinde

Ff a

res



res non solum DEO præbent fundamentum veræ cognitionis; sed etiam intellectui creato. E. ab intellectu creato sunt etiam verè cognoscibiles. Tertiò circa intellectum, in quo est falsitas, est etiam veritas: opponuntur enim in ordine ad unum; Sed res falsæ dicuntur in comparatione intellectus creati. E. in illius comparatione dicuntur etiam veræ res. Rectius igitur in genere dicitur, veritatem esse conformitatem intellectus cum re, non exprimendò vel increatum, vel creatum; uterque enim simul comprehenditur, & res dicitur veræ res, quæ est talis qualis à Deo vel Angelis, aut hominibus esse in tali essentiâ intelligitur, vel intelligi potest, veluti verum aurum est, Das Gott und Menschen vor Gold erkennen/ ut lingua nostra vernacula loqui consuevimus. Sunt verba B. Scheibl. op. Metaphys. l. r. c. 9. S. 26.

V. Porro notandum, per intellectum h. l. non intelligi ipsam facultatem cognoscitivam, quæ à parte rei est ipsa anima rationalis, sed intelligi per metonymiam subjecti pro adjuncto vel potius efficientis pro effectu actum intellectus, quò rem aliquam cognoscit intellectus. Hic autem actus intellectus potest rei cognoscendæ dici conformis dupliciter: vel (1.) in essendo: ut si res quoad essentiam vel substantiam suam talis est, qualis est actus vel conceptus intellectus; vel (2.) in representando, quando nimirum actus intellectus rem ita representat, ut in se est. Jam h. l. intelligenda venit conformitas actus intellectus cum re non in essendo; quoniam inter intellectum, ejusque actus & res plurimas quæ ab intellectu cognoscuntur, hujusmodi conformitas nunquam intercedit; Sunt enim intellectus & ejus conceptus materiæ experes. At rerum, quæ ab intellectu concipiuntur aut intelliguntur, plures sunt materiales & corporeæ; Imò si contingit, ut res quæ ab intellectu cognoscuntur, sint materiæ experes & incorporeæ; tunc inter eas & intellectum ejusque actus



actus intercedit quidem similitudo seu conformitas quoad  
esse; sed in ea veritas non consistit, nec quicquam facit  $\pi\epsilon\delta\omicron\varsigma$   
 $\tau\delta$   $\pi\alpha\rho\upsilon\varsigma$ , quia præsente ista conformitate fieri potest, ut co-  
gitationes intellectus sint falsæ, ut si erret is in cognoscendis  
rebus immaterialibus. Quapropter intelligenda erit h. l.  
*conformitas actus intellectus in representando, quatenus scilicet  
per conceptus intellectus res sic representantur ut ipsæ sunt.*  
Ut, dum in mente mecum cogito, solem terræ esse majo-  
rem, conveniens hoc & conforme est rei cognitæ, indeque  
verum est, quia hoc  $\nu\omicron\eta\mu\alpha\tau\iota$  representatur compositio so-  
lis & magnitudinis terræ majoris; At hæc compositio est in  
re ipsâ, vel quod eodem recidit, sol re ipsa ipsam magnitudi-  
nem obtinet. Contrâ si dicam, solis magnitudinem esse  
tripedalem, quantitatem trium pedum soli intellectu meo  
tribuo; at sol re ipsa magnitudinem hanc non obtinet. Re-  
peritur igitur hîc difformitas seu discrepantia actus intelle-  
ctus & objecti, & quidem in representando, quia actu isto  
exprimitur & representatur res aliter quam est, quo ipso  
falsus est.

VI. Denique observandum, quando veritas dicitur  
Conformitas intellectus cum re, quod *vox rei* etiam accipi  
possit bifariam: Vel (1.) *pro ente reali*, quod est aliquid a-  
ctu in rerum natura existens citra omnem mentis opera-  
tionem, qualis res est homo, equus, lapis &c. Vel (2.) *gene-  
ralius pro quovis intelligibili*, quod scilicet quovis modo con-  
cipi vel cognosci potest, sive sit verum ens, sive non ens, vel ens  
rationis. *Impresentiârum intelligi debet res posteriori modo  
accepta*, ratio est, quia formari potest conceptus verus et-  
iam de non ente, vel de non existente à parte rei: quemad-  
modum verum dico, si dico: Chimæra est non ens, Deus  
lignus non est omnipotens, &c. Similiter in vocibus distin-  
guimus vocem & rem eâ significatam, non solum, quando



significatum ejus est ens reale; sed etiam quando est ens rationis aut non ens: Sicut rectè dico in hisce duabus propositionibus: σιδηρόξυλον est generis neutrius, σιδηρόξυλον involvit contradictionem, subjectum in priori sumi pro voce, in posteriori pro re significata, licet res illa significata non sit ens reale in rerum natura existens.

VII. Dictum fuit in §. 5. quòd per intellectum intelligatur conceptus intellectus; Ubi vocabulum conceptus novam hìc præbet controvertendi ansam, quippe quod non unius, sed duplicis considerationis est. Nam conceptus est vel formalis, vel objectivus: Conceptus formalis est actus intellectus, quo objectum apprehendit vel cognoscit: objectivus verò est res ipsa, quæ ab intellectu apprehenditur vel cognoscitur, quatenus cognoscitur. Jam quærunto Autores, *an Veritas consistat in conformitate conceptus intellectus formalis; an verò in conformitate conceptus objectivi cum re, seu in conformitate rei ut apprehensæ vel intellectæ cum seipsa, ut est in se?* Durand. i. dist. 19. qv. 5. art. 7. quem sequitur Vazquez part. i. tom. i. qv. 75. posteriorem sententiam amplectitur, asserens; quòd veritas consistat *tantum* in conformitate conceptus objectivi cum re; non verò in conformitate conceptus formalis cum re. Pro qua sententia propugnanda ita argumentatur. *Si conformitas in representando (de qua h. l. est sermo) vel cognoscendo præcisè consistit in hoc, quòd representans vel cognoscens representat vel cognoscit rem sic esse, sicut ipsa est, sequitur, quòd veritas sit, conformitas tantum conceptus objectivi cum re.* Anteced. est verum: E. Consequentia probatur, quia in definitione Veritatis per conformitatem intelligitur conformitas in representando, sicut ex §. 5. patescit; Conformitas autem in representando non datur nisi in conceptu objectivo: hinc ultrò sequitur, quòd Veritas sit conformitas tantum conceptus objectivi cum



vi cum re. Quod verò conformitas quæ ad repræsentationem, quando scilicet cognoscens rem cognoscit sic esse, sicut ipsa est, ad conceptum objectivum tantum pertinet. Durandus 1. Sent. dist. 19. qv. 5. probare conatur h. m. Nam cum dicitur, quod intellectus intelligat rem sic esse sicut ipsa est, SIC & SICUT notæ sunt conformitatis prædictæ, in qua formaliter consistit Veritas; sed SIC & SICUT sunt ibi cognitiones objecti, & non ipsius actus intelligendi; Non enim est sensus quod actus intelligendi sic se habeat ad intellectum, in quo est subjective, sicut se habet res intellecta ad suum esse reale, quia hoc esset falsum; Sed est sensus, quod res intelligatur sic esse, sicut ipsa est, ita quod conformitas est inter esse apprehensum, & esse in re.

VIII. Dein pro eadem sententia stabilienda Durandus ita ratiocinatur: Quicquid significatur per propositionem veram, illud est formaliter verum; Objectum intellectus significatur per propositionem veram: Ergo objectum intellectus est formaliter verum. Major probatur: sicut enim urina non dicitur sana, nisi, quia est signum, quod animal sit formaliter sanum, ita id quod significatur per enunciationem veram est formaliter verum. Minor ita ostenditur: Illud significatur verbis, in cuius cognitionem auditis verbis venimus; sed his venimus in cognitionem rerum conceptarum seu conceptuum objectivorum, non actuum aut cogitationum ipsarum; nisi quando nobis loquentes indicare volunt, has vel illas esse suas cogitationes: Tunc enim cogitationes significant, non ipsas res cogitatas. Hæc sunt palmaria argumenta Durandi, quæ antequam diluamus, paucis de opposita sententia dispiciendum erit.

IX. A Durandi sententia abeunt quàm plurimi Dd. Scholastici, quos interest magnus Thomas part. 1. q. 16. art.

2. &



2. & l. contra gentes c. 16. Scotus l. 6. Metaph. quæst. 3.  
Ferrariensis l. contra gentes c. 16. Cajetanus part. 1. quæst.  
16. art. 2. Conimbricenses l. de interpret. c. 1. qv. 5. Paulus  
Seminas quæst. 17. l. 6. Metaph. Svarez. Disp. Metaph. 8.  
sect. I. Petr. Hurtad. de Mendoz. de Anim. Disp. 9. Sect. I.  
Qui omnes asserunt, veritatem esse quoque conformitatem  
conceptus formalis in intellectu cum re, idque probat no-  
ster B. Stahlius in quæst. Log. part. 1. qu. 10. §. 5. hoc dis-  
cursu: Oratio dicitur vera, quia ipsa est conformis rei per  
ipsam orationem significatæ, neque audiendus is, qui di-  
ceret, Orationem esse veram, non propter conformita-  
tem ejus cum re: sed propter conformitatem rei, ut per o-  
rationem significatæ cum se ipsa, ut est in se. Ergo & in-  
tellectui tribuenda est veritas propter conformitatem a-  
ctus ejus cum objecto, neque admittendus, qui diceret, eam  
non in hoc sitam esse, quod actus intellectus sit conformis  
rei; sed quod res ut intellecta sit conformis sibi ipsi ut est in  
se: Par enim utrobique est ratio. Et sanè videre non licet,  
quomodo veritas in conformitate consistens omni ex par-  
te denegari possit conceptui formali: Formet enim quis in  
mente sua hanc propositionem: DEUS est unus in essentia  
& trinus in Personis: De ea si quæritur, an dicat id, quod  
res est, ab orthodoxo & eo, qui sacris imbutus literis est,  
negari non potest: quod si igitur dicit, quod res est, omni-  
nò erit vera, & per consequens veritas dabitur in actu intel-  
lectus seu conceptu formali. Quod dum dicimus, non de-  
negamus omnem veritatem conceptui objectivo, sed saltim  
asserimus, conformitatem illam, in qua consistit ratio ve-  
ritatis, prius convenire intellectioni, seu ipsi intellectus a-  
ctui, (quoniam res habet esse intellectum formaliter per a-  
ctum intellectus sicut habet aliquid esse album per albedi-  
nem,) posterius autem ipsi objectivo conceptui competere  
cense-



censemus. Nos autem paucis videbimus, quid roboris in sic  
argumentis Durandi in §§. præced. adductis.

X. In I. Durandi argumento consequentiam vacilla-  
re qui non videt, eum à bona mente abesse autumamus. Ete-  
nim oppositum potius sequitur. Si enim conformitas in  
repræsentando præcisè in hoc consistit, quod repræsentans  
repræsentat rem sic esse, sicut ipsa est, ultrò sequitur, quod ve-  
ritas non sit tantùm conformitas conceptus objectivi, sed  
etiam conceptus formalis: ratio est, quia & hic habet con-  
formitatem in repræsentando cum re. Quod primam con-  
sequentiam probationem concernit, eà nihil evincitur: præ-  
supponit enim, conformitatem in repræsentando dari tan-  
tùm in conceptu objectivo, quod falsum est. In probatio-  
ne Durandi ἀποφῶν largimur, τὸ SIC & SICUT esse notas  
conformitatis, in qua formaliter consistit Veritas, quando  
dicitur, intellectum intelligere sic rem esse, sicut est. Con-  
cedimus & hoc, prædicta adverbia conditiones objecti esse,  
ut, quando objectum sic est cognitum sicut in se est, sit con-  
formitas in repræsentando, in hoc Durandus nobis non ad-  
versatur. Quod autem pergit & dicit, τὸ SIC & SICUT non  
esse conditiones ipsius actus intelligendi, id est, quod nega-  
mus. Hujus quidem rei rationem reddere conatur Duran-  
dus in verbis subsequis; verùm nihil efficit: *Nam cum dici-  
mus, rem ita intelligi sicuti est; sensus non est, actum intellectus  
sic se habere ad intellectum, in quo inest tanquam in subjecto, sic-  
ut se habet res intellecta ad esse reale. Ergò hæc locutio, rem ita  
intelligi sicut est, non spectat ad actum intellectus. Hoc non  
sequitur, siquidem actus intellectus non solùm respicit in-  
tellectum, tanquam accidens suum subjectum inhætionis;  
sed hoc ipso etiam quod intellectio vel actus intellectus est,  
habitudinem involvit ad rem quæ intelligitur. Verum est,  
rem intelligi ut est, non spectat ad solum actum intellectus,*

Gg

nec



nec ad eum ut est quædam entitas; sed spectat simul ad rem  
& ad eum ut repræsentat rem. Ponamus, illam formulam  
loquendi spectare ad rem ut apprehensam; malè inde col-  
ligitur: Ergò non ad actum. Contrarium potius sequitur,  
spectat ad rem ut apprehensam. Ergò etiam ad actum, quia  
per actum habet esse apprehensum. Sunt verba B. Scha-  
lii l.d.

XI. Ad II. Resp. Objectum intellectus posse conside-  
rari dupliciter: (1.) ut est res aliqua seu citra esse conceptum:  
(2.) ut est conceptum. Jam si objectum intellectus sumi-  
tur priori modo, prout saltem est res quædam, non prout  
est cognitum, Minor propositio negari non poterit, Ma-  
jor tamen vacillat, siquidem eâ admittâ non potest non se-  
qui, veritatem formaliter esse in rebus, quod non solum  
ipsi Durando adversatur, sed etiam Philosophorum Aquilæ  
Aristoteli, qui lib. 6. Metaph. c. 2. t. 8. inquit: & γὰρ ἐστὶ τὸ  
ψευδὲς καὶ τὸ ἀληθὲς οἱ τοῖς πράγμασι, οἷον τὸ μὲν ἀγαθὸν ἀλη-  
θὲς: τὸ δὲ κακὸν ψευδὲς: ἀλλ' οἱ διανοία, qua de re infrâ u-  
berius agetur. Quod si autem Objectum intellectus sumi-  
tur sub ea ratione, quatenus est conceptum, minor propo-  
sitis negatur: cujus rei ratio exinde desumitur, quia si obje-  
ctum sub eâ ratione, quatenus est conceptum, significatur  
per propositionem veram, sequitur propositionem falsam  
exterius prolata esse veram, quod absurdum. Rei lumen  
ab exemplo est accersendum: Si existimans, Calliam esse do-  
ctum, cum indoctus sit, dixerit: Callias est doctus, falsum  
voce profert: Sed id verum esset, si res, ut concepta, signifi-  
caretur isto enunciato, quoniam Calliæ eruditio conceptui  
tribuitur. Et hæc de Durandi sententia, quæ eâtenus nobis  
repugnat, quatenus asserit, Veritatem esse tantum confor-  
mitatem conceptus objectivi in intellectu cum re; non verò  
conceptus formalis, quod falsum: quia conformitas in re-  
præsen-



præsentando prius inest conceptui formali, quàm objectivo: hinc Durandi sententia cum exclusionem admittenda non est.

XII. Verùm enimverò cum intellectus etiam possit aliquid concipere duobus modis, vel per simplicem apprehensionem, vel per compositionem & divisionem, quæ verbo affirmandi & negandi significantur; ideò h. l. rursus quærendum est, utrum veritas consistat vel inveniatur in conceptu mentis simplici seu in simplicium apprehensione; an verò in conceptu mentis compositò seu in compositione & divisione. Posterius assumit & probat noster B. Stahl. tum in discurs. ad tab. Metaph. 22. tum in quæst. Log. Cui subscribit etiam Plurimum Rever. & Excellentissimus Dn. D. Dreierus, Professor in Academia Regio montana famigeratissimus disp. Metaph. II. §. 4. & 5. Quod autem in secunda tantum, non autem in prima vel tertia mentis operatione consistat formaliter Veritas, id facile probatur ex eo, quia simplex mentis operatio, quæ prima est, versatur tantum circa simplices terminos, quibus Veritas vel falsitas non inest, e. g. qui dicit, homo, equus, album, &c. neque verum neque falsum propriè dicit. In tertia autem mentis operatione per se non spectatur, quid verum, quidve falsum sit, sed quid ex antecedente legitimè sequatur, vel non sequatur. Restat ergò sola secunda mentis operatio, quæ in compositione & divisione consistit, cui idcirco Veritas & falsitas formaliter tribuenda est.

XIII. Inveniuntur nihilominus quidam, qui simplici apprehensioni etiam veritatem adscribunt, ita tamen ut cum falsitate omne ei commercium denegetur, è quorum numero sunt Ferrariensis l. 1. contra gentes c. 59. Sonzinas 6. Metaph. quæst. 17. Fonseca 4. Metaph. c. 2. qu. 6. f. 4. Conimbricenses l. πει ερμην. c. 1. qu. 5. artic. 2. & 3. Masius in præfat. πει ερμην. qu. 6. sect. un. l. 4. de Transcen. c. 9. &



io. aliq̄ue. Pro quorum opinione sequentes militant ratio-  
nes: (1.) Cognitio Dei & Angelorum est cognitio sine  
compositione & divisione. Cognitio verò ea non minus est  
vera, quam nostra cognitio, quæ componimus & dividi-  
mus: ergò quædam cognitio, quæ est sine compositione &  
divisione, non minus est vera, quam nostra, quæ compo-  
nimus & dividimus. (2.) Quicumque actus intellectus est con-  
formis rei, is verus est, cum veritas conformitas intelle-  
ctus & rei dicta fuerit. Atqui simplex conceptus est rei con-  
formis. Ergò in eo est veritas. Minor probatur, si enim  
v. g. concipio hominem, conceptus in mente formatus ho-  
minem repræsentat in intellectu sicuti est: Ergò hic conce-  
ptus est conformis rei.

XIV. At enim verò hæ rationes non sunt tantæ mo-  
menti, ut nos à sententia semel recepta movere possint, ad  
quas igitur, antequam respondeamus, notandum est, quod  
locuti fuerimus de eo, quod per se est. Per accidens enim ve-  
ritas & falsitas propriè dicta etiam simplicibus conceptibus  
competit, si nempe accedit compositio & divisio: Nam si  
conceptum simplicem cum altero componas ita, ut res re-  
præsentata composita sint, veritas est; si autem composita  
non sint, falsitas. Similiter si divides quibus respondent  
res divisa, veritas; si divides conceptus, quibus respondent  
composita, falsitas est. Hinc per accidens veritas & falsi-  
tas competunt primæ mentis operationi, non autem per  
se, de quo nobis sermo fuit. Ad I. igitur Respond. quæstio-  
nem esse de nostri intellectus actibus, quorum quidam com-  
ponendo aut dividendo peraguntur; quidam autem simpli-  
ces sunt. Ad divinam igitur cognitionem hæc non sunt ex-  
tendenda: simplici intellectione nos non dicimus, rem esse,  
vel non esse, quod ad veritatis rationem requiritur: At Deus  
simplici intellectione, quæ ipsa ejus substantia est, rem esse,  
vel



vel non esse cognoscit: unde alia est ratio simplicis intelle-  
ctionis divinæ & nostræ. Ad II. Respond. verissimum esse,  
quod Veritas consistat in conformitate intellectus cum re,  
non tamen videtur sufficere quælibet conformitas intelle-  
ctus cum re; sed ea tantum, quæ est in compositione & di-  
visione, seu qua, quæ in re sunt unum, in propositione com-  
ponuntur; quæ non sunt unum, dividuntur. His præmis-  
sis limitatur Major. Quicumque actus intellectus est rei con-  
formis, ut scilicet componat ea, quæ in re sunt idem; & di-  
vidat ea, quæ in re non sunt idem, ille est verus: jam si sub-  
sumitur: simplex conceptus est conformis rei, ut scilicet  
componat quæ in re sunt idem, & dividat, quæ non sunt, tunc  
negatur Minor. Hinc simplici mentis operationi denega-  
mus omnem veritatem propriè sic dictam, ei autem verita-  
tem impropriè dictam concedimus, cui non falsitas, sed  
ignorantia opponitur. Reliqua quæ potuissent hic objici,  
& ad eadem responderi, nolumus tangere; sed conflictui re-  
servare malimus.

XV. Quum itaque Veritas propriè dicta, & ei oppo-  
sita Falsitas, duntaxat competat compositioni & divisioni  
in intellectu, non immeritò quæritur ab Autoribus: *Quid*  
*Veritas huic conceptui, cui inest, addat?* Ubi commodissime  
per quasdam assertiones res declarari poterit. Dicendum  
igitur (I.) quod Veritas non consistat in solo eo, quod est intrin-  
secum conceptui & absolutum. Hæc assertio probari potest  
hoc modo: Quod modo conceptui inest, modo non inest,  
citra conceptus mutationem, id non consistit in solo eo,  
quod est conceptui intrinsecum & absolutum: Ratio est  
quia id, quod est intrinsecum rei, ab ea non potest abesse &  
eidem adesse, ut tamen res illa non mutetur: atqui Veritas  
modo inest conceptui, modo non inest, citra ejus mutatio-  
nem. Ergo Veritas non consistit in solo eo, quod est intrin-





secum conceptui & absolutum. Minor probatur: siquidem  
si in mente mea dico: Petrus sedet; verum hoc est, si sedet;  
falsum, si surgit, ut tamen propositio non mutetur in se, sed  
objectum, nempe Petrus, qui modò sedet, modò surgit. (2.)  
*Veritas non addit conceptui relationem rationis, seu ratio forma-*  
*lis Veritatis non importat relationem rationis.* Quæ assertio  
probatu non est difficilis: Etenim Q. datur citra mentis ope-  
rationem & ut nemo de eo cogitet, illud non importat re-  
lationem rationis. Atqui Veritas datur citra mentis ope-  
rationem: Ergò ea non importat relationem rationis. Mi-  
nor in aprico est. Major autem manifesta fit exinde, quia  
Relatio rationis non est citra hoc, quod ab intellectu nostro  
concipitur. (3.) *neque etiam veritas addit conceptui Relatio-*  
*nem realem, nec ejus ratio formalis talem relationem importat.*  
Quod enim importat relationem realem, id dependet à ter-  
mino realiter existente. Ergò, Veritas non importat rela-  
tionem realem. Major patescit ex ipsa ipsius Relationis natu-  
ra: Minor probatur ex eo, quia Veritas non requirit obje-  
ctum realiter existens, cum etiam de non ente veræ formari  
possint propositiones. Inquis: Hoc argumento probatur  
saltim, quod Veritas non importet Relationem realem præ-  
dicamentalem; sed quæritur, an non importet Relationem  
transcendentalem? Respond. Veritas quidem importat Re-  
lationem transcendentalem conceptus ad objectum; sed in  
hac Relatione non consistit Veritas, nec ad veritatem suffi-  
cit: Nam si Relatio transcendentalis sufficeret ad Veritatem,  
conceptus, qui semel est verus, semper esset verus, sive obje-  
ctum aliter se haberet, sive non. Etenim conceptus sem-  
per retinet transcendentalem respectum ad objectum, e. g.  
cum dico: Themistocles currit: Hic conceptus habet Re-  
lationem transcendentalem ad objectum, nempe Themis-  
toclem, sive Themistocles currat, sive non currat. Si er-  
gò in



ergo in sola hac Relatione consisteret Veritas illius propositionis, propositio esset vera, siue curreret Themistocles, siue non curreret. (4.) *Veritas addit conceptui aliquid reale.* Quia Veritas inest conceptui nemine cogitante; & quidem Veritas addit conceptui huiusmodi reale quid, quod à conceptu realiter distinctum est, quod probatur, quia conceptus, qui in se Veritatem habet, mutato objecto Veritatem amplius non habet, ceu ex superioribus liquet. Hoc posterius distinctum est à priori. Prius enim explicabat saltem, quale sit illud in se, quod Veritas conceptui addit; Hoc verò explicat, quomodo illud, quod Veritas conceptui addit, se habeat in ordine ad conceptum, quod nempe ab eo realiter differat. (5.) *Veritas conceptui addit hoc, quod Objectum ita se habeat, ut à conceptu representatur, vel ut à conceptu cognitum est.* Nam objectum ita se habere, ut à conceptu representatur, non est de ratione conceptus: Ergo si ipsi competit, Veritas id ipsum ei addit. Quod autem hoc non sit de ratione conceptus, probatur, quia conceptus esse suum habet, licet objectum ita se non habere, ut cognitum est. (6.) *Id, quod Veritas addit conceptui, facit denominationem extrinsecam.* Probatur, quia objectum ita se habere, prout representatur à conceptu, est extra conceptum. Hoc ipsum autem Veritas addit conceptui: Ergo conceptus ab eo, quod ipsi Veritas addit, extrinsecè denominatur. (7.) *Veritas addit conceptui non tantum extrinsecum, sed etiam intrinsecum:* Ut ita conceptus à Veritate partim extrinsecè, partim intrinsecè denominetur. Quod ostenditur, quia Veritas addit conceptui representationem objecti ut in se est. Objectum autem ita se habere, est extrinsecum quid: Representatio est intrinsecum quid. Ex his liquet, quod Veritas addat conceptui hoc, quod *representet objectum ut in se est.*



XVI. Haftenus de Veritate, prout ipsa formaliter reperitur in conceptibus nostrae mentis; quia tamen conceptus nostros de rebus in mente formatos non possumus cum aliis communicare, nisi per orationem sive scriptam sive oralem; idcirco consequenter & veritas dicitur esse in oratione, & propterea addunt nonnulli, quod Veritas sit conformitas non tantum intellectus, sed & orationis cum re: quia oratio exprimit verum mentis conceptum de re formatum.

XVII. Ex his deducimus nunc (1.) *Malè distinguere Veritatem à Suarezio disp. Metaph. 8. in proem. In Veritatem in essendo, in cognoscendo & significando*; vel, ut alii volunt in Veritatem objectivam, conformativam & significativam, quarum illam dicunt esse in rebus ipsis, hanc mediam in intellectu, & tertiam seu ultimam in vocibus & scripturis. Nam una est ac simplex Veritas accurate loquendo, à qua non tantum conceptus intellectus, sed & oratio & res ipsa dicitur vera, sed diverso modo. Res ipsae denominantur à veritate extrinsece; conceptus autem intellectus denominatur ab eadem formaliter & intrinsece: quemadmodum à sanitate una & eadem sanum dicitur non tantum animal, sed & medicamentum ac urina; sed illud formaliter & intrinsece dicitur sanum; hæc autem extrinsece, vel per denominationem extrinsecam, & medicamentum quidem effective, quia efficit sanitatem in animali, urina autem significative, quia significat & indicat animalis sanitatem.

XIIX. Ex hisce colligimus (2.) *quia veritas est conformitas intellectus cum re, quod verum non à suo subjecto habeat, ut sit verum; sicut i bonum à suo subjecto habet, quod sit bonum; sed potius à suo Objecto.* Verum enim mensuratur à suo objecto, ut si oratio dicat, tale esse objectum quale revera est, tunc vera ea dicitur propter objectum. Non igitur vel bonitas



nitas vel malitia hominis veritatem enuntiationis immutare potest, cum à bonitate ejus non dependeat veritas. Quod probè notandum est contra eos, qui olim docebant, quod quicquid homo non renatus de DEO & Legge ejus dicat, id omne esse falsum. Ut, si dicat homo fidelis: DEUM esse justum, esse fidelem &c. esse verum: si idem infidelis asserat, esse falsum. Quæ sententia impia & cum verbò DEI pugnans adversatur apertè Veritatis naturæ, quippe quæ, ut dictum, non à subjectò sive ab eò, qui aliquid concipit aut præstat verbis, sed ab objectò dependet. Similiter absurdus fuit superiori ætate *Daniel Hoffmannus SS. Theol. D. ejusque in Academiâ Juliâ Professor*, qui expressè contra *B. Grauerum & Cornelium Martini* asseverare non dubitavit, unam eandemque propositionem veram esse, si proferatur ab homine renatò; falsam, si à non renatò: quâ stante sententiâ veritas non amplius ab objectò suo, sed à subjectò dependebit, quod est contra sanam Philosophiam, quò de elegantissimus tractatus *B. Graueri non minus Philosophi quàm Theologi celeberrimi* de unicâ Veritate conscriptus perlegi poterit.

XIX. Ex eodem fundamentò infertur, absurdam ejusdem Autoris sententiam esse de duplici veritate, quâ aliam ait esse veritatem Philosophicam, aliam Theologicam, adeoque secundum hanc contendit, aliquid posse esse verum in Philosophiâ, quod tamen falsum sit in Theologiâ: quemadmodum v.gr. quando Philosophus dicit: *N. corpus naturale posse simul & semel esse in pluribus locis*; verum hoc est in Philosophiâ. Idem autem pronunciat hoc esse falsum in SS. Theologia. Absurda, inquam, est hæc sententia. Nam si unius ejusdemque rei duplex datur veritas, sequitur quod etiam unius ejusdemque rei duplex detur essentia; sed posterius est absurdum:

H h

E. &



**E. & prius.** Consequētia firmatur, quia tunc dicimus verum, quando rem dicimus esse, sicuti est, & falsum, quando rem dicimus esse, sicut non est. Quod si itaque duplex est unius veritas, tunc aut eadem res duplicem habebit essentiam, aut de unâ eademque re dicendum erit, quod simul sit & non sit, quod est absurdum. Effatum illud Physicum quod attinet, *unum idemque corpus naturale non posse in pluribus locis esse*; id loquitur de potentiâ Naturæ, quâ de Physico sermo est. Huic Theologia nunquam contradicit: divinâ enim potentiâ, cui fines l. terminos nemo præfigere potest, fieri ut unum corpus in pluribus locis esse queat, Theologia ait, cum DEI posse haut eat inficias. Vide Thomam part. 1. sum. q. 25. art. 3. B. Scheib'er. Oper. Logic. Tr. Proœm. l. 7. art. 3. n. 143. p. 41.

**XX.** INQVIS: Nihilominus multa sunt in Philosophiâ falsa, quæ in Theologiâ vera sunt. Nam (1) in Philosophia falsum est: Virgo parit; at id in Theologia verum est: virgo enim Messiam peperit. (2) Nihil idem numero redire potest, ait physicus: negat id Theologus, credens hujus carnis resurrectionem, (3) Mundum esse æternum Philosophia affirmat; Theologia negat: & alia multa in Philosophia sunt vera, quæ tamen contrariantur SS. Theologiæ.

**XXI.** At enim verò hæc non sunt tanta, ut iis herbam porrigamus. Quod enim i. concernit, quando Philosophia ait, Virginem non parere, id intelligit per & secundum naturæ ordinem; neque enim ejus potentiâ unquam generatus est generari vè potuit homo ex virgine qua tali: quod etiam Theologia non evertit, sed ceu verissimam stabilit; Revelata autem ea, peperisse Virginem non ex suâ aut naturæ vi, sed potentiâ divinâ & in-  
*umbra*



*umbratione Altissimi*, quæ naturalem virtutem infinitis modis superat: quod sanè Philosophus non negat: suppositò enim, quod Philosophus cognoscat; creationem esse possibilem, facile quoque admittet, possibile etiam esse, ut in utero aliquo produci possit supernaturaliter absque concursu maris foetus. Illius igitur foetus egressio, quæ scilicet fit foetu in utero supernaturaliter & absque concursu maris producto & non ex commixtione nato, virginitatem non tollit. Ergò Virginitas & partus sunt per divinam potentiam composibilia. Hic igitur ne minimum quidem contradictionis vestigium ostendi potest. Vid. B. Scheibl. Oper. Log. tr. proem. sect. 7. art. 3. n. 142. pag. 41.

XXII. Alterum itidem non obtinet hoc, quod obtinendum erat. Nam quando Theologus hujus carnis resurrectionem credit, credit eam fieri non naturaliter; & eo ipso consentit cum Philosopho, quod verò idem fieri supernaturaliter & divina potentia credit, non habet refragantem Physicum, qui hoc nec negat, nec affirmat. Fuerunt quidem, qui resurrectionem mortuorum philosophicis rationibus probare fategerunt, è quorum censu fuit Jul. Pacius in cap. VI. l. 3. de Anim. Verum num sat solidè, sit penes solidè doctos.

XXIII. Denique ad 3. Resp. Mundum esse æternum, neutiquam sana Philosophia asserit. Ratio est, quia hac de re nihil novit; quod autem ignorat, id nec affirmat, nec negat, cum non possit: sic ut nemo nostrum determinatè affirmare vel negare potest, numerum stellarum esse parem: nec enim ullus nostrum determinatè affirmare vel negare potest, eum esse imparem; ratio est, quia hoc ignoramus. Idem & hic cense. Philosophia quidem novit, Deum ab æterno potuisse producere mundum;

Hh 2

dum;



dim: an verò istam potentiam producendi traduxerit in actum, nec ne, ob agendi libertatem nescit. Vid. B. Meisn. Philos. Sobr. part. 1. s. 3. c. 3. quæst. 1. p. 765. Scheibl. op. Metaph. s. 2. c. 3. n. 664. De Aristotele scissæ sunt sententiæ. Quicquid de eo sit, nos id saltem quærimus, quid præjudicare queant Philosophiæ Philosophi? Ne tantillum.

XXIV. Hic quæstio non minus jucunda, quam utilis moveri assolet: *Utrum actus vel conceptus quidam intellectus mutari possit de vero in falsum, vel utrum actus verus transire possit in falsum?* Ubi duæ distinctæ se offerunt sententiæ: una affirmat, in materia contingentibus posse conceptum verum mutari in falsum, & hanc tutatur Franciscus Svarzezius disp. Meth. 8. s. 2. n. 19. Videturque ipsius ratio esse in aprico, quia datur propositio, quæ potest esse vera & falsa, quam contingentem vocamus: Ergo datur etiam conceptus qui potest esse verus & falsus, cum propositio nihil aliud sit, quam externum quoddam signum interni mentis conceptus: sic v. gr. hæc propositio: Luscinia cantat, pro eo instanti quo cantat, vera est, alio autem instanti, quo cantare desit, falsa. Ergo etiam conceptus, quo lusciniam concipio hoc instanti cantare, verus & idem falsus est alio instanti, quo non cantat.

XXV. Altera sententia planè negat, posse actum vel conceptum intellectus verum transire in falsum: quam propugnat Mendoza disp. 9. de Anim. s. 4. Arriaga disp. 14. s. 2. Caramuel & alii plures; potestque hæc sententia duobus assertis exponi, quorum prius est hoc: *Actus, qui versantur circa materiam necessariam, v. gr. circa Deum, essentias rerum aut aliud hujusmodi immutabile, de veris in falsos mutari non possunt.* Hujus asserti ratio.



ratio est in propositulo: quia actus veri dicuntur propter  
conformitatem, quam habent cum objecto, adeo ex ve-  
ris in falsos mutari non possunt nisi mutato objecto. At  
objecta horum actuum non possunt mutari, cum sint ne-  
cessaria: E. nec actus ipsi de veris in falsos mutari pos-  
sunt. Assertum secundum: *Nullus actus vel conceptus in-  
tellectus, etiam de materia contingenti, transire potest de  
vero in falsum.* Ratio à priori est hæc, quia, ut actus  
aliquis de vero transeat in falsum, mutare debet objectum:  
Sed actus vel conceptus intellectus non potest mutare ob-  
jectum: pendeat enim sic veritas non ab objecto; sed  
& à subjecto, quod falsum esse in præcedentibus diximus:  
E. actus etiam de materia contingenti non potest trans-  
ire de vero in falsum.

XXVI. Reponis; Si quilibet conceptus verus de  
re contingenti non potest non esse verus, & falsus non  
potest non esse falsus; sequitur tunc, quod contingentia  
non amplius sit, sed omnia sint necessaria; Consequens  
est falsum. E. Verum respondetur, licet actus verus de  
materia contingenti non possit mutari in falsum, per  
hoc tamen rerum contingentia non tollitur, quia idem  
ille actus, qui nunc hoc instanti ita verus est, ut falsus esse  
nequeat, potuit pro priori instanti esse falsus, quia ob-  
jectum potuisset pro priori instanti aliter se habere, E.  
gr. cum quis hoc instanti dicit; Callias currit, Callias in  
illo instanti ita currit, ut possit non currere, cum liberè  
currat, ac proinde etiam ipse actus, quo concipio pro  
hoc instanti Calliam currere, potuit pro eodem priori  
esse falsus: Si tamen actus semel sit verus & conformis  
objecto suo, non potest jam reddi falsus, quia objectum  
si est, non potest in illo instanti non esse: Quodlibet e-  
nim quod est, quando est, non potest non esse. Juxta  
H h 3. Cano.



Canonem Philosophicum à B. Stahlio Principe ferè Phi-  
losophorum hoc in seculo parte I. disputatione I. Regula  
3. explicatum.

XXVII. Hucusque de veritate; prout ipsa con-  
ceptibus intellectus internis & propositionibus externis  
attribuitur: Jam quoque brevibus videndum est, an ipsa  
quoque rebus competat nec ne? Affirmativa sequentibus  
videtur stabiliri posse rationibus: (1.) omnis res est vera,  
E. omni rei veritas competit. (2.) in signis veritas est,  
dicuntur enim vera signa: Signa autem sunt res quæ-  
dam, E. veritas in rebus est. (3.) Cognitio DEI est res  
simplicissima, at vero in cognitione DEI est veritas E.  
veritas est in re. (4.) Veritas est conformitas propositio-  
nis cum re ipsa; & sic est in propositione: Propositio  
autem est res aliqua. E. Veritas est in re. (5.) Veritas est  
conformitas intellectus cum re, E. est in intellectu. In-  
tellectus autem est res aliqua, E. veritas est in re. At e-  
nim verò negativa sententia huic præferenda est, quod  
nempe veritas non sit in rebus ipsis, sed in *Agnoia*.  
Nam si ipsa inesset rebus, possent dici veræ, quod absur-  
dum. Nemo enim dicit, v. g. Petrum esse verum, quam-  
vis dicatur verus homo; quæ appellatio ipsi non compe-  
tit ab intrinseca veritate, sed quia potest efficere vel ter-  
minare veram sui cognitionem, sed quia potest cognosci  
verè ut homo, ideò dicitur verus homo. Accedit au-  
thoritas Aristotelis, qui lib. 6. Met. text. 8. veritatem ex-  
presse rebus denegavit. Rationes pro opposita sententia  
adductæ non sunt tantæ ponderis, ut nos ad partes suas  
trahere possent: Respondetur igitur ad (1.) falsum esse,  
quod omnis res sit vera, absolutè scil. licet vera sit cum  
apposito, nempe vera res. Sic porrectò aurò ungaricò  
non rectè dico: hoc est verum, sed dicendum, hoc est  
verum



verum aurum. Quod autem verum dicitur saltim cum appposito, illud in se formaliter non habet veritatem. Eadem responsio ferit (2.) rationem: In signis non est veritas, hinc etiam non appellantur vera absolute, sed vera signa cum appposito. Sic fumus, qui est signum ignis, non dicitur verus sine addito, sed dicitur verum signum ignis, quod qui eum videt, statim iudicet, eum esse signum ignis, & ibi latere ignem, neque in eo decipiatur, sed verum dicat. Ad (3.) respondetur, hoc loco non esse sermonem de cognitione divinâ, quia in præsentî potissimum inter se conferuntur actus humani intellectus, quorum quidam componendo aut dividendo peraguntur, quidam autem simplices sunt. Vide sis *B. Stahlum in quest. II. Log.* Ad (4.) Resp. quod propositio, cui veritas inest, possit dupliciter considerari (1.) *ut res, quæ veram de se cognitionem efficere potest; qua ratione in oppositione non est veritas.* Sic enim v. g., in homine, quatenus verè cognosci, & de se veram cognitionem efficere potest, non est veritas: Ita propositio, quatenus spectatur ut res, quæ verè potest cognosci, non habet in se Veritatem. (2.) Propositio considerari potest, *quatenus est composita, & rem repræsentat sicuti est.* Hoc modo propositio dicitur vera & ipsi inest veritas. Sed hic non spectatur ut res aliqua simplex, & veritas dum ipsi inest, non est in re aliqua simplici.

XXVIII. Ex his liquet, neque verum, neque veritatem esse attributum Entis. Non veritas, quia attributum vel proprietas debet fluere ex essentia rei, & cum re intimam habere connexionem; At veritas ex natura entis non fluit, nec cum natura Entis habet connexionem, cum Enti non competat intrinsecè; Absurdum autem est aliquid cum natura entis intimam habere connexionem



xionem, & tamen intrinsecè enti non competere. Neque verum, quia omne attributum ita comparatum est, ut ratio formalis ejus fluat ex essentia ejus, cujus est attributum, jam veritas, sicut visum est, non fluit ex essentia entis, quia non competit enti, sed conceptui intellectus. E. veritas non potest saluari attributum entis. Accedit & hoc, quod ex Aristotele, Philosophorum coryphæo, locus adduci possit nullus, ubi verum vel veritas dicatur affectio Entis. Porro: *verum & falsum* constituunt attributum vel proprietatem propositionis. E. non potest id verum constituere affectionem entis, ut cuilibet enti competat: Nam proprietas vel attributum soli alicui competere debet. Ex his elucet communis error eorum, qui de veritate & ejus opposita falsitate in Scholis Metaphysicorum agere solent. Etenim si ipsa ad Metaphysicam pertinerent, aut spectarent ad subjectum vel partes subjecti, aut ad affectiones, aut ad principia, per quæ affectiones de subjecto demonstrantur: sed ad neutrum horum reduci possunt. E. doctrina de veritate & falsitate plane ad Metaphysicam pertinere non potest. Rectius E. de vero & falso agitur in Logicis, in doctrina de propositionibus; quia propositio dicitur vel vera, vel falsa. Vel etiam in Physicis, & quidem in doctrina de anima, ubi explicandæ sunt operationes & actus animæ. Jam verò inter actus animæ seu operationes intellectus datur etiam compositio & divisio, vel propositio mentalis, quæ itidem vel vera, vel falsa est. Et hoc innuit Stagirita, quando libr. *Dei ἐπινοίας* ab initio ait: internum conceptum ad doctrinam de anima spectare: Jam verum est internus conceptus. E.

XXIX. Dictum fuit, quod veritas nihilominus denominet ipsam rem; hinc non immeritò disceptant inter



ter se Auctores, quodnam veritas, à qua res dicitur vera res, addat rei seu enti? Nam prius concipio entitatem rei; deinde illam esse veram entitatem. E. gr. prius concipio Petri entitatem; deinde dico, eum esse verum hominem, hinc quæritur, quid per conceptum posteriorem addatur ei? Aureolus retur, veritatem addere enti quandam negationem, ut veritas nihil aliud sit, quam carentia fictionis, & verum ens nihil aliud sit, quam ens non fictum: Sic verum aurum dicitur, aurum non fictum, non apparens, sed quod veram auri naturam habet. Suarez juxta hanc sententiam veritatem esse dicit per principia intrinseca, ut v. gr. verus homo dicatur, qui essentialibus principiis hominis constat. Sed hæc apertam involvunt contradictionem; Contradictio enim est, veritatem consistere in negatione fictionis, & simul consistere in hoc, quod aliquid habeat principia intrinseca; Posterius enim positiva quædam ratio est. Neque ita rectè ratio formalis veritatis per principia interna à Svarezio explicatur, si enim verum formaliter in hoc consistit, quod aliquid habeat principia interna, progressus dabitur in infinitum, illa enim principia interna sunt vera principia, & sic constabunt vicissim ex suis principiis internis, de quibus eadem redit quæstio, & sic in infinitum. Deinde in explicanda veritate non recurrimus ad negationem fictionis; sed potius ad conformitatem conceptus cum re, quæ ut positivum quid concipitur, vel tale quid, quod non habet rationem negationis.

XXX. Fonseca statuit, veritatem addere enti relationem rationis: Verum si veritas est relatio rationis, quæ non nisi per operationem intellectus est; sequitur,

li

res



res non esse veras res, nisi per operationem intellectus,  
& sic Deus non verus est Deus, nisi per operationem in-  
tellectus, quod absurdum esse, quilibet, qui bonæ men-  
tilitat, perspicit. Timplerus libr. 2. Met. cap. 8. quæst.  
4. statuit, veritatem esse attributum entis reale realiter  
distinctum ab ente; quod insitenti tanquam adjunctum,  
vel accidens suo subjecto; Ratio est hæc, quia veritas de-  
nominat ens creatum. Ergo realiter ab eo differt. Ve-  
rum hæc quoque sententia parit progressum in infinitum:  
Nam illud adjunctum, in quo Timplerus veritatem con-  
sistere dicit, erit ens, & consequenter verum. Ergo ve-  
ritas ejus erit iterum adjunctum realiter ab ipso distin-  
ctum, de quo adjuncto eadem redit quæstio. Hinc ea  
opinio hujusmodi discursu rejici potest: Quod tale est,  
ut eo præciso & ablato res nihilominus veræ maneat,  
in eo non consistit ratio formalis veritatis, atqui acci-  
dens tale est, ut eo præciso nihilominus maneat veræ  
res. Erg. accidens non est ratio formalis veritatis. Ma-  
jor certa est: Minor probatur, quia homo præcisis o-  
mnibus accidentibus est verus homo: Ratio Timpleri est  
infirmæ: primò enim quæstio h. l. est de tali veritate, à  
qua res in universum denominatur: Timplerus autem  
tantum concludit de veritate, à qua denominatur ens  
creatum. Deinde falsum est, quod illud realiter diffe-  
rat ab ente creato, à quo illud denominatur: Nam à di-  
visibilitate quantum denominatur, nec tamen divisibili-  
tas à quanto realiter differt.

XXXI. Dicendum igitur (i.) est, quod *veritas*  
*addat enti denominationem desumptam ab intellectu*; Hoc  
que probatur ita: Quicquid addit alicui conformitatem  
cum intellectu, id addit ei denominationem sumptam ab  
intel-



intellectu; Atqui veritas rei, quæ dicitur vera, addit conformitatem cum intellectu. Ergo addit rei denominationem sumptam ab intellectu. Accedit & hoc, quod res aliqua dicatur vera, quatenus in intellectu verum de se iudicium vel certam cognitionem efficere potest. (2.) *Hæc denominatio, quam veritas addit enti est extrinseca:* Non enim veritas illa est in ente vel re, quæ dicitur vera, sed in intellectu; Hinc ita argumentari licet: Quidquid denominatur ab aliqua forma, quæ est extra se, illius denominatio est extrinseca. Atqui ens verum denominatur formaliter ab aliqua forma, quæ est extra se. Ergo illius denominatio est extrinseca. (3.) *Ratio formalis veri non importat tantum denominationem, sed ipsam rei, quæ dicitur vera, entitatem.* Quæ assertio notanda est contra Fonseca, qui negatum est, entitatem ipsam esse de ratione formali veri in concreto. Nam si non involve- ret veram ipsam entitatem rei etiam non ens, vel ens rationis posset denominari à veritate, cum & illud ab intellectu possit cognosci. Quapropter duo includit verum, unum in casu recto, quod est ipsum ens; Alterum in casu obliquo, quod est cognitio intellectus rei ipsi conformis. Sicut autem cognitio hæc est extra cognitam rem, & in re ipsa nihil mutat, ita nec potest in ente realem distinctionem inferre. Est igitur verum nihil aliud, quam ipsum Ens cum connotatione cognitionis intellectus acceptum; Vel est ipsum ens conceptum sub ratione cognoscibilitatis, seu quatenus aptum est fundare & efficere veram sui cognitionem.

XXXII. Vero opponitur falsum, quod est tale, quod apparet id, quod revera non est. Unde duo ad falsum vel ad hoc, ut aliqua res dicatur falsa res, requirun-



tur (1.) *ut referatur ad id, quod non est*; nulla enim res, si refertur ad id, quod est, falsa dicitur, ita si hypocrita pro vero Christiano alicui offeratur, falsus quidem est Christianus, verus tamen hypocrita; Et orichalcum, si alicui offeratur pro auro, falsum quidem est aurum, verum tamen orichalcum, imò & ipsum mendacium relatam ad id, quod est, est verum; est enim verum mendacium. (2.) *Requiritur, ut res habeat aliquam similitudinem cum eo, cuius ratione falsitas ipsi tribuitur.* Oritur autem similitudo huiusmodi ex communibus quibusdam accidentibus & speciebus non propriis aut confusis, quibus deludimur sæpè in iudicio rerum. Et hoc vel maximè contingit homini non intuenti substantiam ipsam; sed tantummodo accidentia & species externas rerum, idque ob imperfectionem potentia cognoscitivæ, quæ si ita perfecta esset, ut ipsas rerum essentias penetrare & intueri posset, non deciperetur, atque sic nec falsitas esset in ea, quemadmodum in intellectu divino nulla datur falsitas, quia Deus suo intellectu omniscio & infinitè perfecto penetrat omnes rerum substantias & distinctissimè omnia cognoscit, ideoque *in comparatione intellectus divini res nulla dicitur falsa, quia DEO nihil potest apparere id, quod non est.* An verò etiam in Angelorum cognitione reperiatur aliqua falsitas, huius loci non est discutere, sed id Theologis potius discutiendum remittimus.

XXXIII. Ex his, quæ fuere adducta, patescit, falsitatem competere rebus non secundum se, sed extrinsecè tantum & in ordine ad nostram cognitionem, cui res potest apparere id, quod non est, sicuti veritas competit rebus per denominationem, solùm extrinsecam.

Qua-





Quapropter falsitas in abstracto describi consuevit, quod sit *difformitas intellectus à re*; quæ difformitas formaliter consistit in *representando*, quando nempe conceptus intellectus rem concipit ac representat aliter, quàm in se est. Ubi per conceptum intellectus iterum intelligitur non prima, sed secunda mentis operatio: Etenim licet improprie quodammodo & secundum analogiam primæ mentis operationi tribui possit veritas, quam nonnulli incomplexam appellant, falsitas tamen ipsi ne improprie quidem & secundum Analogiam tribui potest.

XXXIV. Coronidis vice notandum est, quod apud Autores alia acceptio veri & falsi, quàm prout hactenus sumpta fuerunt, occurrat. Nam apud illos sæpè res falsa dicitur, non quæ planè non est id, quod videtur esse; sed quæ falsata vel corrupta est, seu, quæ licet sit, quod videtur esse, aliquid falsi tamen admixtum habet, quomodo e. g. falsum aurum dici potest, quod admixtò cuprò est falsatum. Contrà res vera dicitur, quæ purè talis est, qualis apparet, nec quicquam alieni vel falsi habet admixtum, quomodo verum aurum idem erit ac purum aurum. Quæ acceptio est diversa à priori, quod liquet ex eo, quia falsum, prout in thesibus antecedentibus fuit sumtum, opponitur *vero* contradictoriè; hoc modò autem acceptum opponitur *vero* privativè. Liceat mihi cum pace Theologorum rem declarare exemplò Theologico: *Ecclesia vera & falsa duplici sensu dicitur: PRIMO enim Ecclesia vera opponitur Ecclesia falsa contradictoriè, h. e. non Ecclesia; & falsa Ecclesia h. m. dicitur, quæ planè non est Ecclesia, quomodo synagoga Judaica & Ecclesia Turcica potest dici falsa Ecclesia; quæ acceptio veri & falsi apud*





*Metaphysicos recepta est. SECUNDO Ecclesia vera oppo-*  
*nitur falsa privativè, i. e. non pura, non orthodoxa Ecclesia,*  
*quasi adhuc ex parte est Ecclesia; ex parte tamen à veritate*  
*fidei & religionis Christiana defecit atque ita corrupta, fal-*  
*sata & impura Ecclesia dicitur; quò sensu dicunt nostrates*  
*Theologi, Ecclesiam Pontificiam ac Calvinianam esse falsas*  
*Ecclesias. Vide hac de re pulcherrimè differentem Ma-*  
*ximè Reverend. atque Excell. Dn. D. Johannem Museum,*  
*Decus nostra Salana immortale in disp. I. de Ecclesia S. 89. 90.*  
*seqq. Plura potuissent de vero & falso in medium profer-*  
*ri; sed ea addere hâc vice non volupe est; ideo defessam*  
*nostram naviculam ad portum deducimus.*

XXXV. Tandem de eò, quando dicitur: *Verum*  
*vero consonat.* Quando verum vero consonare dicitur,  
tunc id de eadem re seu de eodem subjecto juxta unum  
eundemq; considerandi modum intelligendum est, siqui-  
dem idem non potest esse consensus & dissensus, cum  
contradictionem implicet idem à se ipso dissentire, sic  
enim simul esset & non esset. Quando B. Lutherus in  
disputatione quadam Wittebergæ habita dixit statim sub  
initium, etsi tenendum quod dicitur, verum vero conso-  
nat, tamen idem non est verum in diversis professionibus;  
tunc ratio manifesta est, nempe quia diversæ propositio-  
nes v. g. Theologicæ & Philosophicæ. Item, Philoso-  
phicæ & Juridicæ, &c. non sunt de una & eadem re, sed  
de diversis, tunc etiam unam eandemque habent verita-  
tem absolutè rem pensitanda. Sic v. g. Hoc est verum  
in Philosophia naturali, virginem non posse parere, in  
Theologia verum non est.

XXXVI. Canon præbet usum contra adversarios,  
statuentes in controversia de Scriptura S. omnes biblicos  
libros



libros V. T. , qui in vulgato codice extant esse Canonicos, & habere eandem auctoritatem in dijudicandis fidei controversiis, ut videre est è Concilio Tridentino (sess. 4. decret.) contra quam sententiam hocce strui potest argumentum: Quicumque libri invicem non concordant, illi libri non possunt esse æquè veri vel æquè veritatem dicere. Sed libri V. T. singuli invicem non concordant, E. Vel: Verum vero consonat. Non autem omnes libri V. T. inter se consonant, E. non omnes verum dicunt. Sic v. g. in libris Maccabæorum sunt multa pugnantia & historica sphalmata, ut patet ex inspectione librorum. Primò 2. Maccab. c. 1. 19. Secundò 1. Macc. 1. 7. cujus contrarium legitur Danielis XI. 4. Tertio 1. Maccab. VI. 8. 16. contrarium ejus legitur. 2. Maccab. 1. 16. c. IX. 28. Quartò 1. 1. Maccab. VIII. 16. Quintò 1. Maccab. III. 3. cui repugnat locus 2. Macc. 1. 10. Sextò 2. Maccab. II. 23. &c.

SOLI DEO GLORIA.





In complementum chartae alioqui vacaturae  
esto haec Superpondiorum Decuria.

I.

*Aequivoca utut defini hant possint, optimè tamen ab Aristot. definiuntur.*

II.

*Plures in Syllogismo termini quàm tres licet non admittantur, in quovis tamen reperiuntur plures.*

III.

*Definitum non debet ingredi definitionem, nihilominus tamen rectè quandoque ingreditur.*

IV.

*Veritatem Philosophicam, quae contraria sit Theologicae, nullibi dari, saniorum quovis facile advertit.*

V.

*Rebus creatis omnibus, pessimis etiam, haut dubiè sua concedenda est bonitas.*

VI.

*Sicuti in universum res pessimae, quia abs homine appetuntur, bonitatem; ita è converso optimae, quia evitantur, malitiam quandam prae se ferunt.*

VII.

*Spiritus finitus in hominum cogitata penetrare eaq; scrutari immediate haut potest.*

VIII.

*Sub spiritûs infiniti potentiam cadunt omnia, utut quaedam, quae sub eandem non cadunt, etiam excipiantur.*

IX.

*Non omne, quod ab intellectu quocunq; provenit modo, interentia rationis statim referri meretur.*

X.

*Potentiam liberam in substantias, post intellectuales, solum ratione praeditas, in bruta minimè, cadere constat.*

o o o o













נא להוים  
ΑΛΗΘΕΙΑ ΛΟΓΙΑ,  
h. e.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE

VERITATE,  
Quam

Jeho Vâ ben Ignlore CLeMenter

aDIVVante,

In Illustri ac Florentissimo ad Salam ATHENAEO

*Sub Praesidio*

*Viri Amplissimi atque Excellentissimi*

DN. IOH. CHRISTO-  
PHORI Hundeshagen/

Log. & Metaph. Prof. Publ. Ordin. Praeceptoris  
ac Fautoris sui nullo non honoris atque observantiae  
affectu aetatem prosequendi,

*Publico Eruditorum examini submittet*

ANDREAS Francke/ Erford.

*Ad diem Februarii  
Horis Consuetis,*

x 150 (96)

In Auditorio Philosophorum.

JENAE,

Typis publicata Bauhoferianis,  
Anno à pariente Virgine 1669.

